

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Discere g  
cum fonte primo

Qui enim diligenter inspicere uoluerit  
quid antiqui propter amorem sapiencie pertulerint,  
quam memoranda posteris uirtutis sue monimenta reliquerunt,  
quamlibet suam diligenciam inferiorem esse uidebit.  
Alii calcabant honores, alii proiecerunt diuicias,  
alii acceptis iniuriis gaudebant, alii penas spreuerunt,  
alii contubernia hominum deserentes,  
ultimos recessus et secreta heremi penetrantes,  
soli se philosophie dedicabant, ut

quantum mente et intelligencia a ceteris different,  
ipsa locorum distancia demonstrarent  
ne una teneret habitacio quos non eadem sociabat intencio.  
Cuidam philosopho referebat quidam dicens:  
Numquid non uides quia te derident homines?  
Et ille: ipsi me, inquit, derident et eos asini.  
Cogita si potes quanti estimauerit laudari ab hiis a quibus nec uituperari timuit.

Hugo ibidem (libro III. didascalicon).

qui enim diligenter inspicere voluerit  
quid antiqui propter amorem sapientiae pertulerint,  
quam memoranda posteris virtutis sua monimenta reliquerint,  
quamlibet suam diligentiam inferiorem esse videbit.  
alii calcabant honores, alii proiecerunt divitias,  
alii acceptis iniuriis gaudebant, alii poenas spreverunt,  
alii contubernia hominum deserentes,  
ultimos recessus et secreta eremi penetrantes,  
soli se philosophiae dedicabant, ut  
eo contemplationi vacarent liberius,  
quo nullis quae uirtutis iter impedire solent cupiditatibus animum subiecissent.  
Parmenides philosophus quindecim annis in rupe Aegyptia consedisse legitur.  
et Prometheus ob immodicam meditandi curam  
in monte Caucaso vulturi expositus memoratur.  
quia enim sciebant verum bonum non in aestimatione hominum  
sed in pura conscientia esse absconditum, et eos iam non homines esse,  
qui rebus perituri inhaerentes bonum suum non agnoscerent, ideo,  
quantam mente et intelligentia a ceteris different,  
ipsa locorum distantia demonstrabant,  
ne una teneret habitatio quos non eadem sociabat intentio.  
quidam philosopho referebat dicens:  
Numquid non uides quia te derident homines?  
et ille: Ipsi me, inquit, derident, et eos asini.  
cogita si potes, quanti aestimaverit laudari ab his, a quibus nec uituperari timuit.

Hugo de sancto Victore, *Didascalicon de studio legendi*, 3.14  
(C.H. Buttmer ed., pp.64-5, ll.20-28, 1-12).